

Prot. n. 30265/99 C.A.

N

Dimissionis

(Soror X – Congregatio pro Institutis
vitae consecratae et Societatibus vitae
apostolicae)

Restitutionis in integrum adversus sen-
tentiam definitivam H.S.T. d. 15 Decem-
bris a. 2001

DECRETUM

In causa de qua supra, H.S.T. sententia
definitiva diei 15 Decembris a. 2001, co-

ram Exc.mo F. Coccopalmerio, hanc tulit decisionem:

“Negative seu non constare de violatione legis nec in procedendo nec in decernendo relate ad decisionem Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae diei 11-12 iunii a. 1999”.

Qua sententia die 28 Maii a. 2002 publicata, Rev.dus Recurrentis Patronus die 14 Iunii a. 2002 restitutionem petiit in integrum, “secundum can. 1645, § 1 et § 2”.

Quibus praehabitis:

SUPREMUM SIGNATURAE
APOSTOLICAE TRIBUNAL

Re sedulo examini subiecta;
Perspecto quod:

- Rev.dus Recurrentis Patronus denuo exhibet documenta, quae iam exstabant in actis causae et plene confirmant ea quae in impugnata sententia affirmantur, scilicet: “Soror eam [rationem nummariam] non claudit, sed eam relinquit sine pecunia” – ex contextu patet agi de die 25 Septembris 1998 –; “clausit utique rationem nummariam, sed solummodo die 21 Novembris 1998 et documentum mensae argentariae prae manibus Soror habuit iam die 25 Ianuarii 1998 [1999]; proinde id tradere potuisset post primam monitionem alterius procedurae; tamen numquam tradidit Superiorissis documentum originale talis clausurae; id tradidit solummodo in recursu hierarchico Congregationi”;
 - Impugnata sententia iam reiecit alterum argumentum a Rev.do Recurrentis Patrono adductum ad restitutionem in integrum obtinendam, quod nempe Sororis inoboedientia non fuisset subiective gravis;
- Cum proinde in casu ne indicium qui

dem appareat alicuius motivi, propter quod ad normam can. 1645 restitutio in integrum peti potest;

in Congressu, die 30 Octobris anni 2003 coram infrascripto Cardinali Praefecto habito,

decrevit

Petitam restitutionem in integrum reiciendam esse et facto reici.

Quod decretum notificetur iis quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Datum, e Sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 30 mensis Octobris anni 2003.

MARIUS FRANCISCUS CARD. POMPEDDA,
Praefectus

✠ FRANCISCUS XAVERIUS SALERNO,
Secretarius